

» praelatis, capitulis et personis aliis ecclesiasticis et quorumvis
» ordinum etiam mendicantium religiosis, exemptis et non exem-
» ptis per universum orbem et praesertim in Italia constitutis man-
» damus, quatenus ipsi et quilibet eorumdem sub similibus cen-
» suris et poenis per eos et singulares personas eorumdem capi-
» tulum, si infra tres dies, quorum unum pro primo, et alium
» pro secundo et reliquum pro tertio et peremptorio termino cano-
» nica monitione praemissa assignamus, non paruerint, eo ipso
» incurrendis, eosdem ducem, consiliarios, commune venetorum et
» singulares personas ejusdem communis, providitores, capita-
» neum, consultores, fautores, adhaerentes, complices et sequaces
» eorum ac alios monitos praefatos decursis eis assignatis terminis
» praedictis, si non paruerint, in eorum ecclesiis, dominicis et aliis
» festivis diebus, dum major inibi populi multitudo convenerit ad
» divina, cum Crucis vexillo, pulsatis campanis et accensis candelis
» ac demum extinctis, et in terram projectis et conculcatis, et cum
» trina lapidum projectione, aliisque in talibus servari solitis cae-
» remoniis, excommunicatos publice denuntient, ac faciant et man-
» dent ab aliis nuntiari et ab omnibus arctius evitari nec non
» omnibus aliis Christi fidelibus ut eos evitent et cuncta eis neces-
» saria denegent ministrare, donec compuncti corde, spiritum
» assumentes consilii sanioris, nostris monitionibus et mandatis
» praedictis obtemperaverint, et meruerint a censuris et poenis
» praedictis absolutionis et interdicti ac restitutionis beneficium et
» alias integram reconciliationis eorum gratiam a nobis et a sede
» praefata obtinere. Excommunicamus quoque et anathematizamus
» omnes, cujuscumque status conditionisve fuerint, qui quominus
» praesentes litterae nostrae vel earum trasumpta, copiae seu exem-
» plaria in suis aut alienis dominiis legi, affigi, aut publicari ac ad
» omnium notitiam deduci possint, fecerint vel procuraverint quo-
» quo modo. Ecclesiis quoque, monasteriis, conventibus et aliis
» quibusvis sacris locis in quibus denegatum fuerit per illarum
» praelatos et personas litteras ipsas publicari, omnia privilegia,